

possemus, si eiusmodi exempla in medium adferre possent. Equidem in Lexicis nullum inuenire potui. Non enim quaeritur, quotupliciter vox *πληκτής*, vel in propria, vel in metaphorica significatione accipi queat; sed quid proprie & ordinarie significet. Non quaeritur, quatenam quocunque modo ad hanc vocem referri possint; sed quid immediate & in litera denotet? Vide Jo. Casp. Suicerum. (a)

§. 13. Ex quibus facile iudicari poterit, quid in textu nostro per vocem *πληκτής* intelligatur. Intelligitur enim percussor, non moraliter & verbis, sed physice & violenter aliquem feriens. Quod ut eo clarius elucescat, primum & ante omnia prouocamus ad propriam, natiuam ac ordinariam huius vocis significationem, secundum quam, ut supra ostendimus, semper indigitat physicam ac violentam percussorem, siue manu illa fiat, s. pede, s. baculo, s. gladio, s. quocunque alio instrumento. Hanc autem hic etiam obtinere, solennis illa & prima nos docet interpretum regula: à proprietate literae sine grauiissima causa non est recedendum. Quae autem quae hoc nos moueret causa? quae cogeret necessitas? Tantum abest, ut vel unica idonea causa, cur litera deferenda sit, adferri queat, ut potius ipse contextus in litera manendum esse, euincat. Apostolus enim tanquam per gradus ab iis, quae pugnas & conflictiones antecedere solent, ad ipsa verbera ascendit. Ante omnia enim Paulus omni superbia, tanquam iracundiae omniumque vitiorum uberrima matre Ecclesiae Ministro plane interdicit. Deinde etiam ab ipsa iracundia, ex eaque plerumque promanantibus iurgiis, conuitiis & contentionibus eum immunem esse cupit. Quae omnia autem & grauiora ut eo melius faciliusque deuitare possit, à vinolentia atque ebrietate illum ferio dehortatur. Atque tunc demum suum, quem instruit, Episcopum à pugnis & percussione abstinere iubet. Superbo enim quis iracundior? Iracundo & vinolento quis ad caedendum turbasque excitandas procliuior? Multa enim plerique, quae sobrii ausi non fuissent, vino repleti conantur. conf. Prov. XXIII. 29. 30

§. 14. 3. Nostram sententiam confirmat vox *ἀμαχοί*, voci *πληκτής* opposita, quae communiter vertitur alienus à pugnis. *Ἀμαχοί*, inquit Stephanus (b), qui pugna abstinent, qui non pugnant.

(a) *Theol. Eccl. T. 2. p. 751.* (b) *e. l.*

In textu intelligitur violentus percussor.

Prob. I. ex proprietate literae.

Prob. II. ex contextu.

Prob. III. ex voce

*ἀμαχοί*